

**AGRÉGATION**  
**CONCOURS EXTERNE**

**Section : LETTRES CLASSIQUES**

**VERSION LATINE**

**DISCOURS D'HANNIBAL AU CONSEIL D'ANTIOCHUS, ROI DE SYRIE, AUPRES DUQUEL IL S'EST REFUGIE APRES SA DEFAITE A ZAMA**

*Amynder, roi de l'Athamanie et une délégation des Etoliens, menée par Thoas, assistent à ce conseil.*

Ante omnia Philippum et Macedonas in societatem belli quacumque ratione censeo deducendos esse. nam quod ad Euboeam Boeotosque et Thessalos attinet, cui dubium est, quin, ut quibus nullae suae vires sint, praesentibus adulando semper, quem metum in consilio habeant, eodem ad impetrandam ueniam utantur, simul ac Romanum exercitum in Graecia uiderint, ad consuetum imperium se auertant, nec iis noxae futurum sit, quod, cum Romani procul abessent, uim tuam praesentis exercitusque tui experiri noluerint ? quanto igitur prius potiusque est Philippum nobis coniungere quam hos ? cui, si semel in causam descenderit, nihil integri futurum sit, quique eas vires adferat, quae non accessio tantum ad Romanum esse bellum, sed per se ipsae nuper sustinere potuerint Romanos. hoc ego adiuncto--absit uerbo inuidia --qui dubitare de euentu possim, cum, quibus aduersus Philippum ualuerint Romani, iis nunc fore uideam, ut ipsi oppugnentur ? Aetoli, qui Philippum, quod inter omnes constat, uicerunt, cum Philippo aduersus Romanos pugnabunt ; Amynder atque Athamanum gens, quorum secundum Aetolos plurima fuit opera in eo bello, nobiscum stabunt ; Philippus tum te quieto totam molem sustinebat belli ; nunc duo maximi reges Asiae Europaeque uiribus aduersus unum populum, ut meam utramque fortunam taceam, patrum certe aetate ne uni quidem Epirotarum regi parem --qui quid tandem erat uobiscum comparatus ?-- geretis bellum. quae igitur res mihi fiduciam praebet coniungi nobis Philippum posse ? una, communis utilitas, quae societatis maximum uinculum est ; altera, auctores uos Aetoli. uester enim legatus hic Thoas inter cetera, quae ad exciendum in Graeciam Antiochum dicere est solitus, ante omnia hoc semper adfirmavit, fremere Philippum et aegre pati sub specie pacis leges seruitutis sibi impositas. ille quidem ferae bestiae uinctae aut clausae et refringere claustra cupienti regis iram uerbis aequabat. cuius si talis animus est, soluamus nos eius uincula et claustra refringamus, ut erumpere diu coercitam iram in hostes communes possit.